



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Ignatio Dominus Iesus apparet, & vnde Societatis nomen inditum sit. XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

hilareq; traduxerunt, vt Hozius erumpentem, prægestientis animi lætitia, iisum tenere vix posset. Postridie verò re perspecta melius, & cognita, ab eodem iudice liberati sunt, & deinceps semper filiorū loco habiti. Et hæc quidem socij reliqui. Iam ad ea, quæ in sua profectioe, & prouinciæ administratione Ignatius fecit, transeamus.

IGNATIO DOMINVS IESVS

*apparet: & vnde Societatis nomen inditum sit.*

CAPVT XL.

**S**acerdotio igitur iam decoratus, integrum anni spacium ad se præparandum, animumq; magis colligendum sumpsit, vt augustissimū Iesu Christi Domini nostri corpus, viuam veramq; pro peccatis nostris hostiam, parius Deo Patri, primū offerret in odorem suauitatis. Quo tempore, toto pectore in diuinarum rerum commendationem incumberebat, & beatissimā Virginem, Deiq; matrem, diu nocturque obsecrabat, vt ipsum apud filium suum in gratia poneret: & quæ cæli esset ianua, & singularis Dei, hominum-

G 5

num-



numq; conciliatrix, ipsa sibi aditum ad filium aperiret, vt à filio agnitus, filium ipse agnosceret, & inueniret. Itaque toto hoc tempore, mirabiles illustrationes habuit, Venetijs, Vicetiã, alijs in vrbibus, in via: vt restitutus sibi in eum statum videretur, quẽ Maresa habuisset, vbi supra modum (vt diximus) illustratus est. Etenim Luetiã studiorum tempore, neq; tam insignes, neq; tam multas de diuinis rebus notiones accepit. Porro in toto itinere, quod ad prouinciam suam obeundam, vnã cum Fabro, Laineq; Romã versus instituerat, singulariter à Deo & illuminabatur, & confirmabatur, quotidieq; socijs sacra facientibus corpore Dominico reficiebatur, miraculasque, & planè caelestes animi voluptates percipiebat. Accidit autem, cū ad urbem appropinquarent, vt in templum desertum & solum ingressus, oraret ardentius. Ibi mutatum proflus cor eius est; oculiq; mentis clarissima luce collustrati ita sunt, vt perspicuè videret, quomodo Deus pater, Deo Filio crucẽ gestanti Ignatium sociosque peramanter commendabat, in eiusq; dexteram inuictam, & patrociniũ tradebat. Quos cū benignissimus Iesus in



se recepisset: blando, placidoq; vultu,  
 vt erat cū Cruce, ad Ignatiū cōuersus,  
*Ego* (inquit) *vobis Romæ propitiū ero.*  
 Qua quidē admirabili, diuinaq; visio-  
 ne, mirū in modū recreatus Ignatius  
 & confirmatus est: Fabroq; post ora-  
 tionem, & Laini, Quid nobis, inquit,  
 Romæ futurū sit, planē ignoro: in cru-  
 cē ne Deus nos, an in rotam agi velit:  
 hoc tamen mihi cōpertum est atq; ex-  
 ploratum, quicūq; nos exitus maneat,  
 Iesum Christum nobis fore propitiū.  
 Remq; totam, quam viderat, socijs pa-  
 tetfecit, vt & animum illis, & stimulos  
 adderet. Quo etiā factum est, vt cū po-  
 stea de Societate instituēda, inter Igna-  
 tium sociosq; constaret: nomen tamē  
 quæreretur, quo insignita & notata à  
 Christi Vicario confirmaretur, Igna-  
 tius à reliquis socijs impetrauerit, vt  
 sibi integrum esset, ad arbitrium su-  
 um, Societati quod vellet, nomen  
 imponere. Quod omnibus probanti-  
 bus & libentissimis fecit. Et tum præ-  
 claro illo viso, tum alijs diuinis illu-  
 strationibus multis magnisque, ita  
 Dominus Iesus eius in mente sacra-  
 tissimum suum nomen impressit, pe-  
 nitusque infixit, vt eius ex nomine So-  
 cietati nomen imponeret: tā clara ac  
 firma



firma luce collustratus, & vsque eo  
 pro certo habens id Deum velle, vt ab  
 hac mente se dimoueri nūquam posse  
 diceret Quodq; volentib; socijs, ac cō-  
 sentientibus fecit, id repugnantib; ac  
 dissentientibus omninō fecisset, pro-  
 pter diuini luminis claritatem. Itaque  
 Societatem Iesu appellari voluit: vt  
 qui huc vocati fuerint, non se in Igna-  
 tij ordinem aliquem adscriptos, sed in  
 Societatem filij Dei Iesu Christi Do-  
 mini nostri vocatos agnoscant: sub il-  
 lo summo Imperatore mereant: eius  
 signa sequantur: crucem suam cupide  
 tollant: & in auctorem fidei, & con-  
 summatorem Iesum aspiciāt, qui pro-  
 posito sibi gaudio, sustinuit crucem,  
 confusione contempta. Et ne defati-  
 gentur animis deficiētes, certum illi  
 atq; persuasum sit, ducem suū sibi præ-  
 sto esse: illum non Ignatio solum, &  
 socijs, vt videmus hactenus fuisse, sed  
 sibi quoque futurum semper propitiū  
 sperent, si quidem se veros Societatis  
 filios exhibeant, & Patrum suorum  
 imitatores. Quæ de admirabili hoc ve-  
 lo, & suauissima atq; amabili promi-  
 sione hactenus dixi, qua Christus Re-  
 dēptor noster pollicitus est Ignatio, &  
 illi Romę fore propitiū, Pater Jacobus  
 Laines

*1. Cor. 1.*

*Hebr. 12.*



Laines, cū esset Societatis nostræ  
 Præpositus Generalis, & Romæ in con-  
 uentu quodam omnium nostrum (cui  
 ego quoque interfui) verba faceret, in  
 hunc ipsum modum narrauit, quo à  
 me perscripta sunt. Et ipse Ignatius dū  
 viueret, de hac ipsa cælesti illustratio-  
 ne quædam interrogatus, Quarite (in-  
 quit) ex Iacobo Laine; cui cū gesta  
 res est, verè rem totam fideliterq; nar-  
 rauit. Porrò in Commentariolo quo-  
 dam & diario (in quod dum constitu-  
 tiones scriberet, affectus in oratione  
 suos, & spiritales quasi gustus Ignatius  
 manu sua quotidie referebat) scriptū  
 reperi, Talem (inquit) hodie affectum  
 sensi, qualem cū aternus Pater me  
 filio suo commendauit. Atq; hæc qui-  
 dem de clarissima aq; diuina illustra-  
 tione sigillatim explicare volui, &  
 veluti digito fontes, vnde hausta sunt,  
 ostendere, propterea quòd eximia sit,  
 & ad sp̄ erigendos filios Ignatij, atq;  
 roborandos maximè accommodata.  
 Possem equidem in similibus benefi-  
 cijs, quæ Deus in Ignatium contulit,  
 vt eum erudiret, & cælestium rerum  
 splendore illustraret, quæ mea hæc hi-  
 storia complectitur, hoc idem pra sta-  
 re, & quos auctores habeam, nomina-



tim referre; sed ne longior sim, facere  
prætermitto.

*VRBEM INGREDITVR: IN CA-*

*sinate monte animam socij cælum  
intransem videt.*

CAPVT XII.

**R**omam ingressus, omnia collu-  
strare animo attentè cœpit, om-  
nia circūspicere: in primis q̄; ad  
omnes diaboli impet<sup>o</sup> sustinēdos sese  
comparare. Prospexit enim, magnam  
sibi suisq̄; impendere tempestatem,  
Quapropter socijs aliquando, Clausos  
omnes, inquit, adit<sup>o</sup> video: magna quē-  
dam periculosi temporis procella no-  
bis parata est; sed Iesu nitimur; ille no-  
bis propitius erit. Paulò pōst, explora-  
ta sociorum Ignatij doctrina, iussi à  
summo Pontifice sunt publicè sacras  
litteras profiteri; In Sapientiæ igitur  
gymnasio Faber reconditos multipli-  
cesque scripturæ sacræ sensus enuclea-  
bat: Laines eius Theologiæ quæstio-  
nes explicabat, quæ via ac ratione plus  
vtilitur: vterque eruditè & grauitè suo  
munere fūgebatur. Ignatij cōmouēdi  
homines, & ad cælestia rapiendi cura  
erat. Quocircà D. Ortizium ( cuius  
suprà mentionem fecimus) virum gra-  
uissi-